

~~IV.~~ ^{lit.} 15 EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

VI-35.

SIGNAT. CLIOCCCXIII.

6

Solennitatem
nuptiarum

REVERENDISSIMAE
CELSITVDINIS OPTIMI
PRINCIPIS AC DOMINI, DN. HENRI-
CI IVLII, Episcopi postulati Halberstadenſium,
Illuſtriſſimi Brunovicenſium & Lunæburgenſi-
um &c. Ducis ſecundò
ſponſi:

&
GRATIOSISSIMAE SERE-
NITATIS DIVAE VIRGINIS AC DOMINAE,
DOMINAE ELISABETHAE à ſereniſſimo ac poten-
tiſſimo Daniae &c. Rege FRIDERICO ſecundo relictae filiae, he-
roinae regis virtutibus inclyta Sponſa, Cronaburgi eiufdem regni
ipſo die Paſchatos, qui eſt 19. Aprilis, anni epocha
Chriſtiana cl, l, xc. cele-
bratarum.

Suo epithalamio, & meditatione logicæ
analyſios trium odarum Davidicarum beati viri con-
ditionem & prosperitatem deſcribentium
proſequitur.

M. HENRICVS ACHEMIVS.

HELMSTADII

Ex Officina Typographica Iacobi Lucij. Anno 1590.

44

NOTATIO

Coronæ de flore violæ textæ à Christo spon-
so, Ecclesiæ sponsæ.



T media radice novi scit surgere fructus

Flos viola: Christus sic quoq; stirpe David.

Purpureus veluti viola color: est color & sic

Livoris Christi, purpura linor hic est.

Flos humilis caput est, sed suavem spirat odorem:

Est homini Christi livida forma salus.

Ille sua flammæ flos vi, capitisq; dolores:

Hic patrias iras, & mala queq; fugat.

Quam viola suavi conformant flore coronam:

Tam Christi suavi vita coronat ope.

Floris & est Christi similis natura, colorq;

Est odor, est virtus, hocq; corona, modo.

NOTATIO

Serti de flore Mariæ texti ab Ecclesia sponsa,
Christo sponso.



T verno surgit Maria flosculus agro:

Christus flos Maria sic quoq; prodit humo.

Ille solo prodit glaciem frigusq; soluto:

Mortuus hic victa morte resurgit humo.

Ille tegit sordes terra virtute coloris:

Hic nostras maculas velat honore suo.

Ille sua pulchrè decoratq; rubedine terram:

Mundas humanum sanguine, Christe, genus.

Conficit illius contextum gratia sertum:

Iugiter hic florensserta beata dabit.

Est floris Maria sic Christi & congruus ortus,

Vis, color, & decus, hoc, pulcraq;serta, modo.

Epithalamium.

DNS est, sed omni principio sine,
Et sine, vixit quod sine seculo,
Res ante cœlorum creatas

Cognitione sui occupatum.

Constans & una essentia lucida,

Tres mysticè sunt cujus hypostases:

Cum patre natus cumq; sancto

Flamine cuncta creat, fovetq;

Lucem creavit principio, poli

Firmamen, & post semina germinis

Telluris, astrorum decusq;

Cœli animalia, ponti, humiq;

Rector sed horum conditus ultimò

Homo Dei donatus imagine

Res cæteras mentis vigore,

Dotibus anteit & loquelæ.

Omnes Deo sunt hîc species bonæ

Facti, Deo sunt teste, patri decus

Cœli, celebris dignitas &

Gloria non moritura mundo.

Sanxit locans ast in viridario

Eden Adamum iura Deus tori :

A 2

Phison-

Phisonte beryllus sacro de
Hic ubi funditur, unioq;
Sanxit jubenti surgere foeminam
Verbo reclusi de lateris viri
Costa: Dei ductam matito
Coelica sponsio copulat quam.
Ut sit viro cum confociatio
Vxoris, & prolis generatio
Laudis novae Diuum, salubre
Et medicamen amationis.
Ut pactionis sitq; notatio
Sponsam Sion qua foedere filiam
Sponsus sibi coeli redemptam
Sanguine jungit, amat, fouetq;
Sunt sponsionis delitiae valor
Myrrhae, Cypri botrus, specie decus:
Cedri domus, nec non cupressi:
Florida gratia sponsionis.
Ordo sit ergo laudibus inclytus,
Vna, duos, quo, cum mare foeminam
In carne sancivit, sacrato
Foedere vivere vox Dei lex.
Sit firma quare coelica sanctio:
Humana languefcet Latij ducis:
Hippo-

Hippocrates cum Taciano
Hic taceat, Pighiusq; cedat.
Illinc ut ingens jus thalami decus
Virtutis ornat: moribus integri
Vitæ colant sic. Hinc notati
Crimine sint procul, hinc procul sint.
Sic integer vir Thariades pater
Saram: Angelo sic Abramides duce
Duxit Rebeccam: sic volente
Isacidesq; Deo Rahelem.
Sic legis & lator populi Dei
Moyfes Sephoram: sic prece plurima
Fusa Deo sacram recepit
Tobiades sociam toroq;
Solennis ergo fit species novo
Sponsi ferunt quam fœdere principes:
Regina ductatur potenti
Numine dona Duci ferente.
HENRICVS est Dux IVLIVS inclytæ
Columna flos & Guelphiacæ domus,
Quam Bruno ditat glorioso
Nomine, quam decus at Leonis.
Ut quippe ducens Isacidis fuit
Olim Deus Rex, & columen viæ:

A 3

Dux

Dux est & HENRICVS salutis
Altera sic populo viæ lux.
Iessæus ut flos germine prodiit
Davidis olim gaudia Spiritus
Cœli ferens: terræ salubres
Flos ita principis hic odores.
Effert genus quem, vivida quem patrum
Virtus & ornat laudibus, ac honor:
Divinitus res ô vocato
Principe digna, domoq; Ducis.
Enervis hîc non laus tritavi tacet:
Atavi, & ingens non abavi decus
Hîc delitet: virtus celebris
Nec proavi, nec avi filetq;
Se iactat hîc & IVLIA dignitas
Patris, cavernis ducere qui gregem
A mortis, ac explere vitæ
Fonte sitim studuit liquoris.
Hinc fana legem, dogmate dæmonis
Demto, Dei vocem, Themidos sonant
Nec curiæ non jus tuendo
Imperij, decus æquitatis.
Se matris effert gloria jugiter
Hedvvigis, arx, fato, inclyta quam tulit
Brenni

Brenni, benigno: quam Dei vox
Lex iuvat ac hominum salutis.
Fratres Ducis sunt imperii decus,
Firmamen, auctus: coelitus obvenit
Ornatus & cui fors sororum
Prosperitate domum secundans.
Hinc pectus informant generositas
Doctrina, virtus, plurima gratiæ
Dus Principis: vincit beante
Omnia sed pietas fidequæ.
Et corpus ornant integra sanitas
Ac forma Divûm: convenit & quibus
Aetas modo, sextò reversæ
Tempus olympiadis videns vix.
Sors his vigenti divite copia
Favore divo contulit & bona:
Sedes pares cœlo ferè, vim
Mirer opum potius notem quàm?
Hic amplitudo quid referatur &
Regni, ducis quid subditus & fide
Præstans bonis, firmat comes quem
Ordo equitum, Baro cum Vasallis.
Urbes potentes, oppida, castraq;
Munita mirè, prædia, quid notem.

Vecti-

Dux est HENRICVS
Vectigal, & venas ferentes
Divitias, cumulos ut æris?
Narretur hinc quid fertilitas humi
Frugum? Quid hinc et vivum animalculis
Flumen: nemus, venatus atq;
Regia quæ sequitur voluptas.
Hæc divus auget splendor Episcopi
Halberstadenſis, munere cælitus
Lato: Dei fœdus colendi est,
Auctio Principis ac opum quod.
Tam largiter ditant animum ducis:
Corpus venustant tam bona largiter:
Tot Principem largo coronant
Vndiq; res Superum favore.
Sponſo, Dei, sed Principe, gratia,
Quem tam benignè prosperitas beat,
Quæ sponſa digna est? Hunc bect quæ
Læticia, thalamumq; prole?
Beavit augustissima quem tori
Et Dorotheæ sponſio fœderis,
Dotes &, Augustus parens quam
Annaq; diva tulit beatè.
Augustus ingens Romulei decus
Et firmitas regni super æthera

Septem-

Septemvir & notus, domus dux
Saxoniae memoratus atq;
Sed Anna conjux stemmate regio
Est nata, fausto numine, Daniae
De Christiano, Rex suis qui
Lux pietate fuit, fideq;
Cessit pater, cessit genitrix pie,
Cessit, Dei sed filia, filio
Sponso, quietem da beatè
Leticiam Deus his ferentem.
Quæ gratia complens viduum torum
Soletur, inquam, tædia Principis
Lugentis, & coniux levamen
Quæ ferat, huicq; beatitatem?
Antiqua regni iudicii domus
Est, regio quod nomine Marchiam
Danis vocant: Nam primus hic jus
Indigena ut populo tulit Rex.
Regni potentis Norvvagus, & Gothus
Cum Vandalo gens plurima legibus
Obtemperat: quod terra fructu
Sustinet, ac mare dote ditat.
Regnum potens quod Scania milite
Firmat, bonis & Iutia Balthicis

B

Merce

42

Merce ac Britanni, gloriando
Munere quod pecorum celebrat.
Regni potentis vim Sialandia
Corroborat, quam regia mansio
Ornat, frequens urbs, arxq; crebra
Fidere præfidiis jubet quam.
Quod post celebres nomine, laudeq;
Virtutis, actorum quoq; gloria
Magni Skioldungi tenebant,
Iusticia populum tuentes.
Quod Froto rexit legibus optimus
Vitaq; Rex, regni patrii pater:
Pulchrè sacer quem regionum
Ordo fuit procerum secutus.
Dum Christianus Rex, comitum decus
Succedit, ac vivens generositas,
Quos stipes Altenburg virescens
Progenuit satione Divum.
Cujus genus, vim, regia munia,
Leges fide cum posteritas tulit:
Hinc Christiani tertii dum
Gratia pace domum bearet.
Qui Rex Dei vocem, fidei fovens,
Salvantis ac jus, Christi adum domum
Augens

Augens &, ex se Fridericum
Imperio genitum reliquit.
Virtute, vita, qui retulit patres
Et sorte : dias largiter huic opes
Quæ contulit. Quo Rex honore,
Laudeq; jugiter efferetur.
Cui pacis auctori thalamo venit
Et cœlitus dos, jus Sophiæ, genus
Quam sacra Megelburg fidemq;
Protulerat domus acta fato.
Sancti duorum coniugii, Deo
Volente, quartum gloria, Daniæ
Fert Christianum, nunc verendo
Regia iura modo tuentem.
Regis fides fratres : decus atq; sunt
Vivum sorores : inclyta gratia
Quas inter elucet quietem
Elisabetha Dei refert quæ.
Est virgo sacrum cor similis Deo,
Sed corpus est gemmæ. Bona quæ favor.
Cœli, favor terræ solet quæ
Fundere, sunt simul huicq; fusa
Verus Dei nam perficit hanc timor:
Dei, voluptas cui meditatio

B 2

Est

Est legis, ex qua iussa cœlo
Profluit actio charitatis.
Divum venustant gratia corpus hinc:
Nec non lepos, quæ plurima dignitas
Rerum juvat: cultum Dei nam
Hic comitatur honos bonorum.
Aetas juvat quam florida. septies
Nondum recursus ac decies videt
Nam mensis Augusti, simul sic
Dat sua sic bona tempus huicq;
Hæc, ecce, sponsi Principis optimi
Est sponsa: certant dotibus. inscius
Vterq; vinci. Par Deo sic
Compare cum sociatur, ecce.
Sint vota quare, multa rogatio
Sit & preces, fædus Deus ut juvet
Autor, juvet fautor, juvetq;
Altor, ut unio dia fiat.
Et corda motet flamine conjugum,
Sacriq; lustret lumine spiritus:
Vnita sint sanctè duorum
Mens, opus, optio, velle, nolle.
Hac æquitatis lex ratione vir
Dux conjugii vitæ referens Deum,
Conjux

Conjux vicissim lux marito
Sic erit, aspera fata pellet.
Sic pactiois fœdere mystico
Sic est imago, sponsio Principis
Cœli¹ sibi sponsam vocatum
Diligit ac hominum genus qua.
Hic divus ordo sic thalami colet
Præceptionum jura Deo data :
Cui laudis autorem, suoq;
Ferre sciet generi salutis.
Surget toro Princeps populo novus,
Divum propago, patria gloria,
De lege cœli qui laboret,
Utilitate homines juvetq;
Sic palma Princeps florida : sic erit
Et conjugis virtus oleæ, solo
Quæ fertili surgit, domum quæ
Vberibusq; secundat uvis.
Erit domus sic Principis hortulus,
Spirans odores floribus è sacris
Suaues Deo. Fructus tegent qui
Iusticiæ populos alentis.
Erit domus sic Principis HENRICI
Sedes quietis, gratia quam Dei

B 3

Circum-

Circundabit: sancti favoris
Et benedictio quam fovebit.
Hæc vota clementer pater ô Deus,
Fili rogatus percipe: Spiritus
Et sancte confirma benigno
Numine verba preceationis.
Crescet tui nam gloria nominis
Hoc fine: crescet laus tua iugiter:
Nam cor voluntas fota grates
Soluere scit, tibi vota vota.




Medita-

Meditatio.

Logicæ analysis psalmi

I.

Occasio.

 Vm hic psalmus apud Hebræos anepigraphus beatum virum, cuius voluptas est in lege Domini, in qua meditatur die ac nocte, florere ac vivere doceat, invitat ad studium verbi divini, & cultum veræ pietatis. Cum enim nulla alia re humanæ mentes magis alliciantur, trahanturq; , quam spe commodi ac præmiorum tacitam ad meditandam legem divinam cohortationem eum continere in medio positum est. Quapropter ut generalis præfatio Psalmodiæ regii prophetæ Davidis vel ab Esra, qui, teste Athanasio in synopsi sacræ scripturæ, post reditum Iudæorū ex captivitate psalmos collectos in unum volumen redegit, vel alio præfixus est.

Hinc deducta eius thesis est: Beatos qui legem divinam meditantur, florere, ac vivere. Quæ concluditur argumento causæ efficientis (quia sunt iusti fide, quorum viam dominus novit) hoc iudicio, quod syllogisticum est:

Iusti fide, quorum viam dominus novit, floreant ac vivant, vers. 6. ultimo.

Sed beati sunt eiusmodi, versib. 1. & 2.

Ergo beati floreant ac vivant, versib. 3. 4. & 5.

Beatus vir) Assumptio syllogismi, cuius prædicatum quadam antithesi describitur, in cuius parte priori tria remouentur effecta. 1. quod in consilio impiorum non ambulavit, hoc est, impiorum placitis, decretis & legibus operam non dedit. In sancta enim lingua verbum ambulare, metaphorice significat vacare, operam dare, studere, conversari, vivere &c. 2. quod in via pcc-

via peccatorum non stetit, hoc est, pertinaciter & continenter eorum studia, mores ac opera non expressit. Via enim per metaphoram, rationem seu institutum vitæ, studia ac opera significat: & stare per eundem tropum firmum esse, fixum hære, quo pertinacia & dura cervix, item continuatio actionum flagitiosarum notatur. 3. quod in cathedra derisorum non sedit, hoc est, non delusa veritatis cœlestis doctrina impiè & pestilenter docuit. Est enim sedere in cathedra, docere, magistrum ac doctorem esse. Siquidem cathedra per metonymiam doctrinam, sedere vero per metaphoram cum autoritate, & securam in ejus professione manere, significat. ubi autem legitur in cathedra pestilentia, ibi per metaphoram hæc vox pro pernicioso dogmate ponitur, quo per metonymiam homines pestilentes religionem, pietatem & fidem ridentes arguuntur. Neque enim pestilentia in corporibus tam contagiosa est, quam doctrina impietatis in mentibus. Sermo eorum, inquit Apostolus, ut cancer serpit 2. ad Timoth. 2. Sicut autem sapientes vocantur sanitas orbis terrarum: (Sap. 6.) ita impii rectè ejus pestilentia dicuntur, ut Lutherus hic annotat.

Sed in lege) Altera pars antithesis in qua adjunctum viri beati suo subjecto determinatum ponitur (quod voluptas ejus in lege domini) & effectum adjuncto tempore descriptum (quod in ea meditetur die ac nocte) hoc est, verbum Dei attentè observet, mutuum ejus collationem instituat, & sermonem de eo cum aliis conferat, idque assiduè sine intermissione, tam adversitatis, quam prosperitatis tempore. ubi lex per Synecdochen membri pro tota doctrina cœlesti seu theologia usurpatur.

Et erit tanquam) complexio syllogismi per dissimilitudinem, cujus protasis est de constanti felicitate beatorum, quod sicut palma consistent, florebit, ac vivent. Per lignum enim, quod in textu Hebraico est, per synecdochen generis lignum viride, hoc est, arbor, & per arborem, eodem tropi genere palma significatur. Nam & psalmus 92. dicit: Iustus ut palma florebit. Et
Plinius

Plinius lib. 13. cap: 4. de palma refert, quod gaudeat riguis, totoq; anno bibere amet. Describitur autem hic palma, cui virum beatum psalmus confert, argumentis 1. causæ efficientis (quod plantatum est) nempe curæ, & cultus, vbi distinguitur ab illis arboribus, quæ sponte nascuntur, & adjuncta stabilitas notatur, ut psal. 92. Plantati in domo domini in atriis domus Dei nostri florebut. 2. subjecti, hoc est, situs genitales (secus decursus aquarum) 3. effecti adjuncto tempore descripti (quod fructum suum dabit in tempore. 4. adjuncti viroris (& folium eius non defluet) Quæ 5. prospero omnium studiorum, & actionum beati viri eventu seu fine illustrantur. (& omnia quæcunq; faciet, prospera erunt)

Non sic impij) Antapodosis dissimilitudinis de mobilitate & inconstantia impiorum, quod sint tanquam quisquiliæ aristarū, gluma, acus, palea, quam projicit ventus à facie terræ.

Ideo non surgent) confectarium antapodosis conclusionis, quæ de inconstantia impiorum fuit, à finibus, quod impij non surgent in iudicio: neq; peccatores in congregatione justorum h. e. quod impij nunquam eò ascendent ut sint rectores, & iudices fidelium, neq; in consilio eorum consistent, non locum habebunt, non fruentur communibus Ecclesiæ beneficiis, ut Lutherus hæc verba interpretatur: vel ut alii exponunt, in iudicio Dei extremo non poterunt consistere, neq; congregationi justorum, quæ tunc separabitur, conjungi.

Quoniam novit) Propositio syllogismi antithesi facta, cujus prior pars est de justis quod florent ac vivunt, cum eorum viam Deus noverit, hoc est, approbet, juvet, ac tueatur. Hebræis enim verba noticiæ non tantum referuntur ad intellectum, sed etiam ad affectum, & voluntatem: Posterior pars de impijs quod eorum iter pereat, quod hic rursus institutionem vitæ, studia & conatus significat.

C

Medita-

Meditatio psalmi 15. cuius inscriptio est can-
ticum Davidis.

Occasio.

CVM psalmo præcedenti 14. impiorum idea sit descri-
pta, qualem Iudæi tempore Christi referebant, pro-
ponitur hîc exemplar piorum, vt sic non solum à
malo declinandum, sed etiam bonum faciendum es-
se Propheta doceat. Cum autem pleriq; cultum religionis, pie-
tatem & iusticiam in professione legis, ac observatione quorun-
dam rituum & ceremoniarum consistere opinarentur, hoc er-
rore sublato, qui veri sint cultus & opera, quæ Deo placeant, &
quis finis eorum, hîc exponitur.

Est autem thesis psalmi: Pius ac iustis hominibus benè erit
in hac & futura vita. Quæ concluditur argumento causæ effici-
entis (quia sunt sancti fide) hoc syllogismo:

Sanctis benè erit in hac & futura vita, vers: 1.

Sed pijs ac iusti sunt sancti, vers: 2. 3. 4. 5.

Ergo pijs ac iustis benè erit in hac & futura vita, vers. ultimo.

Iehova quis habitabit in tabernaculo tuo) Propositio est per in-
terrogationes facta, quibus Propheta vult exquirere, ac docere,
sanctos esse ciues Ecclesiæ Dei, quibus beneficijs eius fruuntur
benè sit in hoc & futuro seculo. Est enim habitare in taberna-
culo Iehovæ, Ecclesiæ militantis & peregrinantis membrum
esse: Requiescere vero in monte sancto eius, Ecclesiæ trium-
phantis, veraq; pace ac quiete fruuntur civè manere. Tabernacu-
lū enim seu tētoriū sedes fixa non est, sed militiae & peregrinatio-
nis habitatio, q; per metaphoram Ecclesiā significat. Mons vero
sanctitatis est, vbi res divinæ peraguntur, Deus invocatur, q; divi-
na præsentia sanctificatur. Qui per Synecdochen generis pro
monte Sione ponitur, qui per metaphoram Ecclesiam arguit.

Qui ingreditur sine macula) Assumptio syllogismi continens
descri-

descriptionem viri fidei iusti, qui proferens fructum bonorum operum se fidelem probat. Vbi argumenta, quæ adhibentur, partim virtutes prioris tabulæ decalogi, ad Deum, partim posterioris ad proximum relatas notant.

Sine macula) 1. argumentum ab adjuncta integritate, qua fide intuentem Christum vir pius Deum timet, ac rectè colit: qua est innocens in invocatione, doctrina & cultibus. Quod argumentum omnes generaliter virtutes prioris tabulæ decalogi complectitur, ut & Genes: 17. ubi Deus ad Abrahamum inquit: ambula coram me, & esto perfectus. Quo in loco tamen non perfectio absoluta, vitio omni carens, sed ea intelligitur, quæ pro primitiis spiritus præsentis seculo congruit, quæ Deo probatur in suis respectu absolutæ integritatis, ad quæ in altera vita perveniant. Vbi locutio metaphorica, ambulare coram Deo, explicat hanc phrasin, ubi idem tropus est, ingredi sine macula. Vtraque enim significat Dei cultui rectè vacare, seu rebus divinis operam dare.

Et operatur iusticiam) 2. argumentum ab adjuncta virtute iusticia universalis. Quo item omnes generaliter virtutes posterioris tabulæ decalogi comprehenduntur. Quarum aliquot quodam *περισπωµὸν* propositæ illi subjunguntur.

Et loquitur veritatem) 1. argumentum ab adjuncto specialis virtutis ad posteriorem decalogi tabulam relatæ, quo pietas iusti viri describitur, veritatis, quæ duabus generalibus optima ratione additur. Nam ut illarum prima requirebat munditiam cordis, secunda iusticiam operum: sic hæc in specie rectitudinem sermonis, hoc est, firmam *ὑποαίρεσιν* congruentiam cordis, & sermonis cum re parientem poscit. Est autem veritatem in corde loqui, sermone intimo cordis affectui respondente loqui.

Qui non obtrahit linguam) 2. argumentum ab adjuncto specialis virtutis, iusticiæ particularis, quæ nullius famæ, corpori, vel bonis vi aut fraude nocet. Vbi, non obtrahere linguam seu, ut alii verterunt, non dolum agere in lingua, est simulatione

amicitię alicujus animum, affectiones & consilia non explorare, & explorata post aliò deferre: Non autem facere proximo malum, est nullam ei damnum inferre, sed benefacere: Opprobrium vero contra proximum non levare, est ignominiam, convicium & blasphemiam contra ipsum non jactare, exaggerare, & magnificare.

In cuius conspectu malignus est contemptus) 3. argumentum ab adjuncto specialis virtutis justicię distributivę, cujus ἐνέργεια per antithesin proponuntur, quod illa justus vir præditus singulis tribuat id, quod merüere: malignum contemnat, contraq; Deum timentes glorificet.

Qui iurat proximo) 4. argumentum ab adjuncto virtutis specialis, nempe religionis, qua jusjurandum proximo præstitum, & fidem servat, nec jure pontificio juramenta ac vota mutanda esse censet, sed divino sanctè colenda, & tenenda statuit.

Qui argentum suum non dedit ad usuram) 5. argumentum ab adjuncto specialis virtutis, justicię commutativę, quę servat æqualitatem in contractibus, & usuras, aliasq; injustas rationes conficiendę pecunię vitat. ubi argentum per metonymiam materię pro pecunia ponitur: & usura per synecdochen speciei omnem avaritiam, & affectum, quo proximus defraudari potest, comprehendit.

Et munera supra innocentem) 6. argumentum ab adjuncto specialis virtutis ad posteriorem decalogi tabulam relatę, quę pius ac justus vir describitur, quę in iudiciis est justicia διορθωτική correctiva, quę inter lucrum & damnum medium quoddam arithmetica proportione servat, & inæqualia ad æqualitatem revocat, & sic omnem σπερφοδινουωανεργίαν versutiam in pervertendis causis fugit: Et in aliis constantia perseverandi in vera & recta sententia in doctrina, consiliis, iudiciis & actionibus, quę neq; spei lucri, neq; favori amici, neq; odio inimici, neq; contemptui inferiorum, neq; metui superiorum est obnoxia.


Qui facit hæc non movebitur in æternum) complexio syllogismi, quod

mi, quod piis ac justis qui coram Deo integrè ambulant, & erga proximum opera charitatis exercent, nunquam commotis benè erit in hac, & futura vita.

Meditatio psalmi CXXVIII, cujus epigraphe est, canticum graduum, qui à quibusdam interpretibus ob specialem promissionem, quæ in eo habetur, felicis conjugii,

λόγος ἐπιθαλάμιος inscribitur.

Occasio.

 VM psalmo præcedenti 127. propositis duobus vitæ humanæ ordinibus economico & politico, nulla hominum studia, nullos labores, nulla consilia & actiones sine Deo esse felices, doctum sit, jam in specie, quos divinus favor, gratia, & benedictio prosequatur, additur, nempe Deum timentes, & suæ vocationis munus subeuntes.

Vnde ducta thesis psalmi est: Qui tractat munia suæ vocationis est beatus. Quæ argumento effectorum, quod & adjunctorum, si *ἐξ*, unde hæ actiones prosuunt, respicias, dici potest (quia Deum timet, ac in viis eius ambulat) concluditur hoc syllogismo:

Timens Deum, & ambulans in viis eius est beatus. vers: 1.

Sed tractans munia suæ vocationis timet Deum, & in viis eius lat. vers: 2.

Ergo est beatus. versib.: 2. 3. 4. 5. & 6.

Beati omnes) Propositio est, qua homini pio, Deum timentì, & in viis ejus ambulanti, omnia benè, feliciter, & prosperè evētura esse affirmatur. Si enim, ut Tobias filium *ἰουητι*, Deum timuerimus multa bona habebimus, & dominus novit viam justorum, hoc est, fouet, juvat, suoq; favore ac benedictione prosequitur.

Labores manuum) Assumptio ex his colligenda est, quod æ-

C 3

cono-

conomus maritus continens se intra metas suæ vocationis timet Deum, & ambulat in viis ejus. Vbi labores per metonymiã causæ pro rebus laboribus partis & ad victum & sustentationem vitæ requisitis, ponuntur: Et manus, quia sunt præcipuum, quo homines sua officia, & negotia exequentur, organon, καὶ ἐξ ὅλης synecdochicam pro omnibus hominis partibus ad ejus ἐργασίας exercendas, operaq; efficienda quæ destinatæ sunt, usurpantur.

Beatus es) complexio est syllogismi, qua virum in timore Dei, & viis ejus manentem bono, felici, ac prospero omnium rerum successu beatum iri concluditur.

Vxor tua sicut vitis fructifera) Approbatio conclusæ beatitudinis à duorum relatorum conditionibus totidem similibus declaratis, prioris nempe uxoris viti collatæ natura, fecunditate, copia & ubertate fructuum, ac generositate: posterioris nempe liberorum oleæ plantulis comparatorum integritate, pulchra cōstitutione seu habitudine, & finibus. Quemadmodum enim vitis, ut Plinius scribit lib. 14. cap. 1. ambit domū: sic uxor omnes ejus partes visit & curat. ut illa fructifera ferens uvas: sic hæc fecunda pariens liberos. ut illa copia fructuū: sic hæc multitudine liberorum domum ditat. ut illa generositate liquoris & vini lætificat: ita hæc optima indole sobolis eam beat. Et quemadmodum plantulæ olivarum sunt vegetæ: ita & liberi sani & integri. ut illarum habitudo est pulchra: ita & horum aspectus jucundus. ut illarum ramī sunt signū pacis: ita liberi symbolum & pignus concordie conjugalis. ut illæ amplissimam spē consequendi maturitatem, ferendiq; olei, quod lenit & lætificat, ostendunt: ita liberi adolescentes suaves & lætos fructus Ecclesiæ Dei, politiis & œconomiis se olim lætuos esse pollicentur.

Ecce sic benedicetur homo) Repetitio est conclusionis ἐπιφραστικῆς, qua major pio marito obventuræ benedictionis & beatitudinis fit asseveratio. Bis enim dictum, ut scholæ Hebræorum docent, magis est dictum. Qua ratione etiam animus hæc percipientis ad longiorem earum rerum considerationem traducitur, & in ea detinetur.

Benedict-

Benedicat tibi Iehova) Benedictionis, virum Deum timentem
quæ comitatur, confirmatio est precatione seu voto Spiritus
sancti facta: cui additur illustratio cum à causa efficiente, tum à
tribus finalibus.

Iehova è Sion) Causa efficiens & verus autor omnis benedi-
ctionis, favoris, & largitionis bonorum ostenditur, qui est Ieho-
va habitans in Sione, hoc est, Deus, qui per ministerium spiritua-
le in Ecclesia præsens est, hujus membra fovet, juvat, sanctifi-
cat, omni bonitatis genere munerat, eisq; se totum communicat.
Extra Ecclesiam enim non est salus.

Vt videas bona Ierusalem) Primus finis voti de divina bene-
dictione impetranda, ut vir timens Deum videat bona Ierusalem
omnibus diebus vitæ suæ, hoc est, cum delectatione & volupta-
te florentis Ecclesiæ bona intueatur, percipiat, sentiat, iisque mul-
tùm ac diu fruatur.

Et videas filios filiorum) Secundus finis optatæ benedi-
ctionis, ut veræ Ecclesiæ insitus videat filios filiorum, hoc est imor-
talitatem seminis. Geminatio enim substantivorum excellenti-
am arguit. Quæ maxima piorum parentum est felicitas, & à sin-
gulari Dei benedictione pendet.

Pacem super Israel) Tertius finis est, ut videat pacem super
Israel. Vbi pax per synecdochen sanctæ linguæ familiarem o-
mnem prosperitatem, & salutarium rerum affluentiam: Israel
vero per metonymiam regnum Christi & imperium politicum
significat. Est igitur videre pacem super Israel, Ecclesiæ sua ge-
neratione auctæ & regni politici illi hospitium præbentis ordi-
nem, gloriam & præsidia, quibus omnia ad optimũ utriusq; sta-
tum requisita comprehenduntur, singulari cum delectatione
contemplari, omniumq;, quæ inde oriuntur, bonorum partici-
pem esse.

Gloria Deo & pax homini.

... benedictionis, virum Deum timentem
 ... communitatis, communitatis est precatione seu voto spiritus
 sancti facta, cui additur illud, cum a causa efficiens, cum a
 tribus finalibus, ...
 ... causa efficiens & verus autor omnis benedi-
 ctionis, favoris, & largitionis bonorum ostenditur, qui est Iho-
 va habitans in Sion, hoc est Deus, qui per ministerium spiritus
 sancti Ecclesia preterita est, huius membris fovet, iuvat, sanctifi-
 cat, omni bonitatis genere mandata, & totum communitat-
 Extra Ecclesiam enim non est salus.
 ... Primus finis videlicet divina bene-
 dictio impetranda, ut vir sanctus Deum videat bona, Ierusalem
 omnibus diebus vixit, hoc est, cum delectatione & voluptate
 de honoris Ecclesie bona in eternum percipiat, sanctis, iustis, ...
 ... Secundus finis operis benedictio-
 nis, ut verus Ecclesie finis videat filios gloriam, hoc est honor-
 tatem, seminis, gemmas enim substantiarum excellenti-
 um arguit. Quae maxima bonorum partium est felicitas, & in-
 gulari Dei benedictione pendet.
 ... Tertius finis est, ut videat pacem super
 Israel. Vbi pax per synochos, sanctae linguae familiarium o-
 ranam prosperitatem, & salutarium rerum affluentiam: Israel
 vero per motum regnum Christi & imperium potentium
 signatur. Est igitur videtur pax super Israel, Ecclesie in ge-
 neratione auctoris & regni potentissimi, hospitium prebentis ordi-
 nem, gloriam & praesidia, quibus omnia ad optatum terminum, sa-
 rum requiem comprehenduntur, in gulari cum delectatione
 contentum, omniumque pax inde oritur, bonorum partici-
 pan esse.
 ...
Gloria Deo & pax hominibus.
 ...



ULB Halle

3

001 853 031





Sb.

Barcode hängt a.
1. Angeb. Stück, da 1. Stck. nicht i. Bd.

Stk. 6a nicht erf., da
Hand schrift

12a unvollst., nicht
erfolgt





B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

6

Solennitatem
nuptiarum

REVERENDISSIMAE
CELSITVDINIS OPTIMI
PRINCIPIS AC DOMINI, DN. HENRI-
CI IVLII, Episcopi postulati Halberstadensium,
Illustrissimi Brunovicensium & Lunæburgensi-
um &c. Ducis secundo
sponsi:

&
GRATIOSISSIMAE SERE-
NITATIS DIVAE VIRGINIS AC DOMINAE,
DOMINAE ELISABETHAE à serenissimo ac poten-
tissimo Danie &c. Rege FRIDERICO secundo relicta filia, he-
roine regis virtutibus inclyta Sponse, Cronaburgi eiusdem regni
ipso die Paschatos, qui est 19. Aprilis, anni epoche
Christianae 1613, xc. cele-
bratarum.

Suo epithalamio, & meditatione logicæ
analysios trium odarum Davidicarum beati viri con-
ditionem & prosperitatem describentium
prosequitur.

M. HENRICVS ACHEMIVS.

HELMSTADII

Ex Officina Typographica Iacobi Lucij. Anno 1590.

44